probe vxoris adelphi opuscu-
lum feliciter ſic incipit.



## Sequitur prologus.

Entones apud gramaticos vocari ſolent: qui ſeu maronis. ad propria opera ⌊more centenario⌋ ex metris hinc inde cōpoſitis in vnū ſarciunt corpꝰ: ad facultatem probate cuiuſq; materie. deniq; proba vxor adelphi: centonem ex virgilio. de fabrica mundi et euuangeliis pleniſſime expreſſit. materia ſecundum verſus expoſita et verſibus ſecundum materiam continuatis.

Amdudum temeraſſe duces pia federa pacis
⌊Regnandi miſeros tenuit quos dira cupido⌋
Diuerſaſq; neces regum/ crudelia bella/
Cognatas q; acies pollutas cede parentum
Inſignes clipeis/ multo q; ex hoſte trophea/
Sanguine conſperſos tulerat quos fama triumphos/
Innumeris totiens viduatas ciuibus vrbes:
Confiteor ſcripſiſſe. ſat eſt meminiſſe malorum.
Nunc deus omnipotens ſacrum precor accipe carmen/
Eternum q; tui ſeptemplicis ora reſolue
Spiritus: atq; mei reſera penetralia cordis:
Archana vt poſſim vatis bona cuncta referre.
Non nunc ambroſi cura eſt mihi querere nectar.

Nec libet aonio de vertice ducere muſas/
Non michi ſaxa loqui vanus perſuadeat error/
Corigenas qꝫ ſequi tripodas et inania vota
Jurgantes qꝫ deas procerum/victos qꝫ penates.
Nullus enim labor eſt verbis extendere famam/
Atqꝫ hominum ſtudiis paruam diſquirere laudem
Caſteria ſed forte magis imitata beatos
Que ſitiens hauſi ſancte libamina lucis
Hinc canere incipiam preſens deus erige mentem.
Virgilium ceciniſſe loquor pia munera xp̄i.
Rem nulli obſcuram repetens ab origine pandam.
Si qua fides animi: ſi veros fuſa per artus
Mens agitat molem et magno ſe corpore miſcet
Spiritus. et quantum non noxia corpora turbant
Terreni qꝫ hebetant artus moribunda qꝫ membra
O pater o qꝫ hominum/rerum qꝫ eterna poteſtas:
Da facilem curſum/atqꝫ animis illabere noſtris.
Tu qꝫ ades/noſtrum qꝫ vna decorate laborem
Nate patris ſummi vigor et celeſtis origo
Quem primi colimus meritos qꝫ nouamus honores
Jam noua progenies omnis ꝙ credidit etas.
Jam memini veterum voluens monumenta virorum
Et moyſem ante omnes alios ceciniſſe per orbem

Que ſunt que fuerint. et que ventura trahantur
Omnia vt ipſe tener noſter concreuerit orbis.
Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas
Vnde hominum/pecudum qꝫ genus vite qꝫ volantum
Et qꝫ marmoreo ſunt monſtra ſub equore ponti.
Et ſi quid ſimul ignis habet/vel mobilis humor:
Haud aliter prima creſcentis ymagine mundi.
Illuxiſſe dies alium ve habuiſſe tenorem.
Crediderim/maior rerum michi naſcitur ordo.
Si qua fidem tanto eſt operi latura poteſtas.
Namqꝫ fatebor enim leuium ſpectacula rerum:
Semper equos atqꝫ arma virum pugnas qꝫ canebam.
Et ſtudio incaſſum volui excercere laborem
Omnia temptaui. potior ſententia viſa eſt
Pandere res altas tetra et caligine merſas.
In qꝫ dies aliquid iamdudum inuadere magnum
Mens agitat michi nec placida contenta quiete eſt.
Ore fauete omnes. letas qꝫ aduertite mentes.
Matres. atqꝫ viri pueri. innupte puelle.

Exequutio operis.

Rincipio celum ac terras. cāpos qꝫ liquentes
Lucentem qꝫ globum lune/ſolis qꝫ labores

Ipſe pater ſtatuit. vos o clariſſima mundi
Lumina .labentem celo qꝫ ducitis annum:
Nam neqꝫ erant aſtrorum ignes/nec lucidus ether.
Et nox atra polum bigis ſubiecta tenebat.
Et chaos in preceps tantum tendebat ad vmbras.
Quantus ad ethereum celi ſuſpectus olimpum.
Tunc pater omnipotens rerum cui ſumma poteſtas
Aera dimouit tenebroſum et diſpulit vmbras.
Et medium luci atqꝫ vmbris iam diuidit orbem
Sydera cuncta notat tacito labentia celo
Intentos voluens oculos qua parte calores
Auſternos tulerit/qua terga obuerterit axi.
Poſtq̄ cuncta videt celo conſtare ſereno
Omnipotens/ſtellis numeros et nomina fecit
Temporibus qꝫ parem diuiſit quatuor annum.
Eſtus et pluuias. et gentes ſydera ventos/
Atqꝫ hec vt/certis poſſemus diſcere ſignis
Vere tument terre/genitalia ſemina poſcunt.
Ac medio toſtas eſtu terit area fruges.
Et varios ponit fetus authonus/et atra
Venit yems teritur ſicioma bacca trapetis.
Atqꝫ in ſe ſua per veſtigia voluitur annus
Tempore iam ex illo fecundis ymbribus ether

Magnus/alit magno.commixtus coꝛpore fetus.

Et iam pꝛima nouo ſpargebat lumine terras/
Ducebatqꝫ diem ſtellis auroꝛa fugatis/
Tunc durare ſolum et diſcludere nerea pontho
Incipit/et rerum paulatim ſumere foꝛmas/
Et varios pelagi facies immania cete
Equoꝛa verrebant.caudis eſtum qꝫ ſecabant
Necnon et vaſti circuibant/equoꝛa ponthi
Iam ſole infuſo:iam rebus luce retectis:
Exultans roꝛem late diſpergit amarum.

Poſtera iam qꝫ dies pꝛimo ſurgebat ero/
Fundit humus floꝛes/et frondes explicat omnes:
Sanguineis qꝫ inculta rubent amarica baccis
Non raſtris hominum non vlli obnoxia cure.

Tercia lux gelidam celo dimouerat vmbram:
Auiꝰ tunc reſonant auibus virgulta ſonorum:
Et gelidas coꝛui pꝛeſſo dant gutture voces:
Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

Quarta terra die variarum monſtra ferarum/
Omnigenum qꝫ pecus nullo cuſtode per herbas
Educit ſiluis ſubito mirabile viſu.
Tunc demum mouet aram leo/tunc peſſima tigris
Scamoſus qꝫ dꝛaco et fulua ceruice leena:

Seua ac forma magnorum vlulare luporum.
Cetera paſcuntur virides armenta per herbas
Nec gregibus liquidi fontes nec gramina deſunt.
Jam qꝫ dies alter qꝫ dies proceſſit et omne
Hoc virtutis opus diuine mentis/et auguſtus
Proſpiciens genitor diuerſis orbibus orbes
Explere mentem nequit ardeſcit qꝫ videndo
Terrarum/tractus qꝫ maris/celum qꝫ profundum:
Alituum pecudum qꝫ genus ſecum qꝫ volutat.
Qui mare qui terras omni dictione teneret
Neu ſegnes terre iaceant iuuat vſqꝫ moram
Talia verſenti ſubito ſententia cedit.
Felicem qꝫ trahit lumē/fingit qꝫ premendo
Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni
Jamqꝫ improuiſo tante pietatis ymago
Proceſſit noua forma viri pulcherrima primum.
Os humeros qꝫ deo ſimiles/mentem qꝫ manum qꝫ.
Maius agit deus atqꝫ opera ad maiora remittit
Queritur hinc alius/ne quicq̄ ex agmine tanto
Audet adire virum ⟂ ſocius ⟂ ve in regna vocari
Haud mora continuo placidum per membra quietem
Dat iuueni/et dulci declinat lumina ſompno
Atqꝫ illi medio in ſpacio iam noctis opace

Omnipotens genitoꝛ coſtas et viſcera nudat
Harum vnam inueni lateri et compagibus arctis
Eripuit: ſubito qꝫ oꝛitur mirabile donum:
Argumentum ingens clara cum luce refulſit.

Inſignis facie, pulcro cum pectoꝛe virgo.
Jam matura viro/ iam plena nubilis annis
Olli ſomnum ingens rupit pauoꝛ oſſa qꝫ et artus
Coniugium vocat. et ſtupefactus nomine preſſit
Excepit qꝫ manum: dextrã qꝫ amplexus adheſit.

His demon exactis toꝛquet qui ſidera mundi
Infit eo dicente premit placida equoꝛa pontus
Et tremefacta ſolo tellus ſilet arduus ether
Diuite felices: inter qꝫ virentia culta.
Foꝛtunatoꝛum nemoꝛum ſedes qꝫ beatas
Hec domus, hec patria eſt requies ea certa laboꝛum
His ego nec metas rerum nec tempoꝛa ponam.
Imperium ſine fine dedi multos qꝫ per annos
Non raſtrum patietur humus, nec vinea falcem
At genus immoꝛtale manet nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi/ mutat qꝫ vigoꝛem
Vos que nunc dicam animis aduertite veſtris.

In medio ramos, ramoſa qꝫ brachia tendens
Eſt in conſpectu ramis felicibus arboꝛ:

Quam neqʒ fas igni cuiꝙ nec ſternere ferro:
Religione ſacra nunꝙ conceſſa moueri
Hac quicunqʒ ſacros deſerpſerit arbore fructus:
Morte luet merita. nec me ſententia vertit.
Nec tibi iam prudens aliquis perſuadeat autor
Commaculare manus liceat nec voce moueri
Femina. nec te vllius iam violentia vincat
Si te digna manet diuini gloria ruris.
Poſtꝙ cuncta pater celi cui ſydera parent
Compoſuit. legemqʒ dedit. camposqʒ nitentes:
Deſuper oſtentat tantarum gloria rerum
Ecce autem primi ſub lucē ſolis et ortus
Deuenere locos: vbi mollis amaricus illos
Floribus et dulci aſpirans complectitur vmbra.
Hic ver purpureum atqʒ alienis meſſibus eſtus
Hic liquidi fontes et celi tempore certo
Dulcia mella premunt: hic candida populus antro.
Eminet/et lente texunt vmbracula vites.
Inuicrant croceis alantes floribus orthi.
Inter odoratum lauri nemus ipſa qʒ tencllus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat
Fortunati ambo ſi mens non leua fuiſſet
Coniugis infande docuit poſt exitus vrgens.

Jamqz dies infanda aderat per florea rura
Ecce inimicus atrox immenſis orbibus anguis
Septem vrgens giros, ſeptena volumina verſat.
Nec viſu facilis nec dictu effabilis vlli
Obliqua inſidia ramo frondente pependit
Vipeream inſpirans animam, cui triſtia bella
Ireqz, inſidieqz, et crimina noxia cordi
Odit et ipſe pater tot ſeſe vertit in ora
Arrectisqz horret ſquamis et nequit in auſum
Aut intentatum ſceleris ve doli ve relinquat.
Hic prior aggreditur dictis ſeqz obtulit vltro.
Sic ait: o virgo lucis habitamus opacis
Riparumqz thoros et prata recententia riuis
Incolimusqz tanta animis ignania venit?
Strata iacent paſſim ſua queqz ſub arbore poma
Pocula ſunt liquidi fontes celeſtia dona/
Attrattare nephas id rebus deficit vnum
Quis prohibet cauſas penitus tractare latentes:
Vana ſuperſticio, rerum pars altera dempta eſt
Conditio mea ſi non irrita dicta putares
Autor ero audendi ſacrata reſoluere iura.
Tu coniunx tibi phas animam tentare precando
Dux ego veſter ero et tua michi certa voluntas

Extruimus qꝫ thoros/dapibus qꝫ epulamur opimis
Sic ait et dicto citius quod lege tenetur
Subiciunt epulis olim venerabile pomum
Inſtituunt qꝫ dapes.contractuqꝫ omnia fedant.
Precipue inſiſtit peſti deuota future
Miratur qꝫ nouas frondes et non ſua pomā
Cauſa mali tanti ſummo tenus attigit ore.
Mayus adorſa nephas amorem qꝫ orſa furorem
Heu miſero.coniunx aliena ex arbore germen
Obicit: atqꝫ animum ſubita dulcedine mouit.
Continuo noua lux occulis effulſitat illi
Terrentur viſu ſubito nec plura moranti
Corpora ſub ramis obiectu frondis in vmbrant
Conſertum tegmen/nec ſpes opis vlla dabatur
Et tamen hec nullis hominum rerum qꝫ repertor
Obſeruans oculis cedes et facta tiranni
Preſenſit notum qꝫ ferens quid femina poſſit
Continuo inuadit/procul o procul eſte prophani
Conclamat celum et terras que numine firmat.
Ac illi longe gradientem et dira frementem
Vt videre metu verſi retro qꝫ ruentes
Diffugiunt ſiluas qꝫ et ſic vbi concaua furtim
Saxa petunt piget incepti lucem qꝫ nec auras

Reſpiciunt: celi tedet conuexa tueri
Non longum in medio tempus. cum creber ad aures
Viſus adeſſe pedum ſonitus genitor qȝ per auras
Talibus alloquitur dictis atqȝ increpat vltro.
Infelix que tanta animum dementia cepit:
Quis furor iſte nouus quo nunc quo tenditis inquit
Regnorum immemores: que mentem inſania mutat
Dicite: que lucis miſeris tam dira cupido:
Maturate fugam. toto qȝ aſſiſtite luco
Nec reuocare gradum. ſi quando aduerſa vocarint
Eſt licitum: flammis ambit horrentibus annis
Per medium ſtridens torquet qȝ ſonantia ſaxa
Attollit qȝ glomos flammarum et ſydera lambit
Ille ſub hec tua me genitor tua triſtis ymago
His poſuit qȝ locis. merui nec deprecor inquit
Omnipotens ſonitum qȝ pedum vocem qȝ tremiſco
Cõſcius audacis facti moniti qȝ ſiniſtri
Femina fert triſtes. ſuccos. tardum qȝ ſaporem
Illa dolos dirum qȝ nephas ſub pectore verſans:
Inſontem infando iudicio moritura puella
Dum furit incautum crudeli morte peremit
Suaſit enim ſcis ipſe nec eſt te fallere cuiq̄
Vt vidi vt perii vt me malus abſtulit error

Contigimuſqꝫ manu que non ſua ſeminat arbos:
Tunc pater omnipotens ſolio ſe miſit ab alto:
Accipite ergo animis atqꝫ hec mea ſurgite dicta.
Atqꝫ prior ſcelere ante alios immanior omnes:
Quam nec longa dies pietas nec mitigat vlla.
Hortator ſcelerum coluber magna gramina paſtus
Deſidia latamqꝫ trahens in glorius aluum
Cede locis nullꝰ qꝫ hominum cogentibus ipſe
Tentus vbi agilla et dumoſis calculus aruis
At tibi pro ſcelere exclamat pro talibus auſis:
Omne euum ferro teritur. primus qꝫ per artem
Heu miſerande puer terram inſectabere raſtris
Et ſonitu tenebris aues horrebit in aruis
Carduus. et ſpinis ſurget paluirus acutis
Lappe qꝫ et tribuli. et fallax herba veneni
At ſi trititeam in meſſem robuſta qꝫ farra
Excercebis humum fruſtra expectabis aceruum.
Concuſſa qꝫ famen in ſiluis ſolabere quercu.
Inſuperbi ſuberunt morbi. triſtis qꝫ ſenectus
Et labor et dire capit inclementia mortis
Hec tibi ſemper erunt: tu qꝫ o ſanctiſſima coniunx
Non ignara mali caput horum et cauſa malorum:
Magna lues commiſſa tibi heu perdita neſcis:

Nec que te circunſtant/deinde pericula cernis?
Nunc morere vt meritaes habes quod mente petiſti
Nec mea iam mutata loco ſententia cedit
At iuuenem primum ſeuus circunſtitit horror
Diriguere oculi nec te celare tenebris
Auſus et notas audire et reddere voces
  Haud mora feſtinant iuſſi rapidi qz feruntur
Paſſibus et pariter greſſi per opaca viarum
Corripiunt ſpacium medium lumen qz relinquunt
Flentes et paribus curis veſtigia ſignant
Tum victum in ſiluis baccas lapidoſa qz corna
Dant rami et vulſis paſcunt radicibus herbe.
  Interea magnum ſol circum uoluitur annum
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes
Vnde homines nati.durum genus.inde per artem
Aut herbe campo apparent.aut arbore frondes
In qz nouos ſoles audent ſe gramine tuto
Cedere.et a lentis vuam dimittere ramis
Inſtituunt vdo qz docent moleſcere ſucco
Tunc fratres gemini adolent altaria cedis
Alter in alterius prelato inuidit honore
Horreſco referens cum ſanguinitate propinquum.
  Excipit incautum patrias qz ob truncat ad aras

Sanguine fedantem quos ipſe ſacrauerat ignes
Tunc genitor virus ſerpentibus addidit antris
Mella qꝫ decuſſit foliis ignem qꝫ remouit
Predari qꝫ lupos iuſſit pontum qꝫ moueri
Et paſſim riuis currentia vina repreſſit
Mox et frumenti labor additus vt multa culmos
Eſſet rubigo et victum ſeges egra negaret
Tunc laqueis captare feras et fallere viſco
Inuentum/et duris ingens in rebus egeſtas
Mouit agros curis acuens mortalia corda
Deterior donec paulatim ac diſcolor etas
Ferrea progenies durum caput extulit armis
Et belli rabies et amor ſucceſſit habendi
Juſticia excedens terris veſtigia fecit
Nec longum in medio tempus. furor ira qꝫ mentez
Precipitant gaudent profuſi ſanguine fratrum
Condit opes alius defoſſo qꝫ incubat auro.
Hec doluit miſerans opem dextram qꝫ tetendit
Tunc pater omnipotens grauiter commotus ab alto
Ethere ſe miſit. tellurem immittit in vndas
Diluuium mittens celum qꝫ in tartara ſoluit
Sternit agros ſternit ſata leta/boum qꝫ labores
Diluit/implentur foſſe/et caua flumina creſcunt

Et genus omne neci pecudum dedit omne ferarum
Tunc pietate grauem ac meritis mirabile dictu
Qui fuit inuentor/et ſeruantiſſimus equi.
Eripuit leto. tantis ſurgentibus vndis,
Vt genus omne/noue ſtirpis reuocetur haberet.
Diluuio ex illo patribus dat iura vocatis
Omnipotens/magnis qꝫ agitat ſub legibus euum:
Quid memorarem infandas cedes/quod facta tyranni.
Neſcia qꝫ humanis precibus manſueſcere corda:
Egiptum vires qꝫ orientis: et vltima bella:
Magnanimos qꝫ duces tocius qꝫ origine gentis:
Quo curſu deſerta petunt ſimul et tribus et gens
Magna virum tanti meriti non immemor vnq̄
Quiqꝫ ſacerdotes aſſumit altaria iuxta
Qui qꝫ pii vates pro libertate recuſant
Qui bello extincti reges que littore rubro
Rex genus egregium magno inflammante furore:
Complerit campos/acies quibus arcerit armis
Agmen agens equitum et florentes ere cateruas
Cetera facta patrum pugnata qꝫ in ordine bella
Preterea atque aliis poſt me memoranda relinquo
Nunc a te et tua magne pater conſulta reuertor
Maius opus moueo vatum predicta priorum

Aggredior quis augusti terminus cui
Accipiat tentanda via est que me quoqz poſſim
Tollere humo et nomen fama to: ferre per annos
Qp tua progenies celo deſcendit ab alto.
Attulit et nobis aliquando optantibus etas
Auxilium. aduentum qz eui cum femina primum
Virginis ob habitum qz gerens mirabile dictu
Nec generis noſtri puerum/nec ſanguinis edit
Sed qz terriſtica cecinerunt omnia vates.
Aduentare virum populis/terris qz ſuperbum
Semine ab ethereo qz viribus occupet orbem
Imperium occeanum famam que terminet aſtris.
Jamqz aderat promiſſa dies quo tempore primum
Extulit ob ſacrum dinitie ſtirpis ymago
Miſſa ſui imperio venit qz in corpore virtus
Mixta deo ſubiit chari genitoris ymago.
Haud mora continuo celi regione ſerena
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit
Agnouere deum proceres cuncti qz repente
Muneribus cumulant/et ſanctum ſidus adorant
Tunc vero manifeſta fides clarum qz paterne
Omen erat virtutis et ipſi agnoſcere vultus
Flagrant et que dant diuini ſigna decoris

Protinus ad regem magno clamore ruentum
Fama volat. magnas qꝫ acuit rumoribus iras
Incendit qꝫ animum matris qꝫ adlabitur aures
Illa dolos dirum qꝫ nephas haud neſcia rerum.
Preſenſit motus qꝫ excepit prima furoris
Preſcia venturi furtim mandauit alendum:
Dum cure ambigue dum mens exeſtuat ira
At rex ſollicitus ſtirpem et genus omne futurum
Precipitare iubet ſubiectis qꝫ vrere flammis
Multa mouens mittit qꝫ viros que certa reportent
Haud ſecus ac iuſſi faciunt rapidi qꝫ feruntur
Paſſibus et magnis vrbem clamoribus implent
Continuo audite voces vagitus et ingens.
Infantum qꝫ anime flentes. ante ora parentum
Corpora natorum ſternuntur limine primo.
At mater gemitu non fruſtra. exterrita tanto
Ipſa ſinu pre ſe portans turbante tumultu
Infantem fugiens plena preſepia reddit
Hec natum anguſti ſubter faſtigia tecti
Nutribat teneris indulgens vbera labris
Hec tibi prima puer fundent cunabula flores/
Mixta qꝫ ridenti paſſim cum baccare tellus
Et iam finis erat perfecto temporis orbe

Vt primum ceſſit furor et rabida ora quierunt
Ante annos animum geſtans celeſtis origo.
Per medias vrbes graditur populos qȝ propinquos:
Illum omnis tectis agris qȝ effuſa iuuentus.
Attonitis inhiens animis proſpectat euntem:
Verba qȝ mirantur matrum quis ſpiritus illi:
Quis vultus ve ſonus vel greſſus eunti eſt.
Continuo vates namqȝ is certiſſimus auctor:
Nec procul a gelido ſecretum flumine vidit:
Tempus ait deus ecce deus cui maxima rerum:
Verborum qȝ fides. tu non eris alter ab illo:
Fortunate puer celi cui ſydera parent
Sic equidem ducebam animo rebar qȝ futurum:
Expectate venis ſpes et ſolatia noſtri:
Hec vbi dicta dedit fluuio merſare ſalubri:
Accepit venientem ac mollibus extulit vndis:
Exultant qȝ vada. et ſubito commota columba:
Deuolat atqȝ caput ſuper aſtitit. inde repente:
Radit iter liquidum celeres neqȝ commouet alas.
Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat:
Certatim longos humeris effundere rores.
Tunc genitor natum dictis compellat amicis:
Nate mee vires mea magua potentia ſolus.

Et pre dulce decus magnum rediture parenti
A te principium tibi deſinit accipe teſtor
O mea progenies qua ſol vtrumqȝ recurrens
Aſpicit occeanum profecto letus honore
Omnia ſub pedibus verti qȝ regi qȝ videbis
Tu regem imperio populos ma res qȝ viros qȝ
Jam pridem deſides animos deſuecta qȝ corda
Jgnaros qȝ vie mecum qȝ diu miſeratos
Aggredere et votis iam nunc aſſueſce vocari
Dixerat ille patris ſummi parere parabat
Jmperio qȝ inſtans operi regnis qȝ futuris
Heu pietas heu priſca fides: quas dicere grates
Jncipiam ſi parua licet componere magnis
Nec michi iam primam antiquam ſpes vlla videndi
Nec ſpes libertatis erat nec cura ſalutis.
Hic michi reſponſum primus dedit ille parenti
Concretam exemit labem purum qȝ reliquit
Ethereum ſenſum me qȝ in mea regna remiſit
Jllum ego per flammas agerem ſi ſertibus exul
Per varios caſus per mille ſequentia tela
Quo res cunqȝ cadunt vnum pro numine tanto
Exequerer. ſternerem qȝ ſuis altaria donis
Huius in aduentu tantarum nomina laudum

Ipſi leticia voces ad ſydera iactant
Intonſi montes. reſpondet omnia valles
Tempore non alio magnum ⁊ memorabile nomen
  Serpentum furiale malum meminiſſe neceſſe eſt
Auſus quinetiam fama eſt obſcurior annis
Compellare virum et veniendi poſcere cauſas
Hunc vbi tendentem aduerſus per gramina vidit
Subſtitit infremuitqꝫ ferox dominumqꝫ potentem
Sanctius ac ſerpens affatur voce ſuperba.
Vera ne te facies verus michi nuncius affers
Quod genus hoc hominum cur noſtra ad lumina tendis
Fare age quid venias. nam te dare iura locuntur
Aut quis te iuuenum confidentiſſime noſtras
Iuſſit adire domos: paciqꝫ imponere morem:
Non equidem inuideo miror magis accipe porro
Quid dubitem et que nunc animo ſententia ſurgat
  Eſt domus alta vora qꝫ ephiros et labere pennis:
Ardua tecta petens/ auſus te credere celo:
Si modo quem memoras pater eſt tibi ſydera parent
  Illi ſubridens ſedato pectore fatur
Haud vatum ignarus venturiqꝫ inſcius eſt
Diſſimulare etiam ſperaſti perfide ſerpens
Ne dubita nam vera vides opta ardua pennis

Aſtra ſequi clauſum qȝ cauate condere terra
Quo periture ruis maiora qȝ viribus audes
Crede deo toto proiectus corpore terra
Nec plura hiis ille admirans mirabile donum
Fronte premit terram et ſpuans agitore cruento.
Contentus qȝ fuga ceciſſe immiſcuit vmbris
Interea magne volitans et fama per vrbes
Conuenere viri mens omnibus vna ſequendi
In quaſcunqȝ velit pelago decurrere terras
Multi preterea quos fama obſcura recondit
Circumſtant fremitu denſo ſtipant qȝ frequentes
Exultant qȝ animis iam plurima turba
Hunc tenet atqȝ humeris extantem ſuſcipit altis
Quos vbi conſertos audere in prelia vidit
Incipit et dictis diuinum ſpirat amorem
Diſcite iuſticiam moniti et ſuccurrite feſſis
Pro ſe quiſqȝ viri que cuiqȝ eſt copia leti
Communem qȝ vocare deum meliora ſequimur
Quoqȝ vocat vertamus iter. via prima ſalutis
Intemerata fides et mens ſibi conſcia recti
Vobis parta quies perfecto temporis orbe,
Nam qȝ diuitiis ſoli incubuere repertis
Nec partem poſuere ſuis dum vita maneret

Pulſatus ve parens et fraus immixta clienti
Nunc cum frigida mors animo ſe duxerit artus
Incluſi penam expectant que maxima turba eſt
Inferni qꝫ ſciet tenebris veterum qꝫ malorum
Supplicia expendunt alii ſub gurgite vaſto
Infectum cluditur ſcelus aut exuritur igni
Turbidus hic ceno vaſta qꝫ voragine gurges
Eſtuat atqꝫ omnem cocchiti eructat arenam
Hinc exaudiri gemitus et ſeua ſonare
Verbera dum ſtridor ferri tracte qꝫ cathene
Semper et obducta depreſantur nocte tenebre
Preterea que dicam animis aduertite veſtris
Non ego vos poſt hec ceſis de more iuuencis
Religione patrum truncis et robore nata
Mortali ve manu effigies nec templa deorum
Audite et repetens iterum. iterum qꝫ monebo
Sed periiſſe ſemel ſatis eſt natum qꝫ patrem qꝫ
Profuit meminiſſe magis ſi credere dignum eſt
Sed fugit interea fugit irreuocabile tempus
Flammarum qꝫ dies et vis inimica propinquat
Attonitis heſere animis nec plura moratus
Hic aliud mayus miſeris mortalibus egris
Judicium cani: et triſtes denunciat iras

Venturum excidio et vaſta conuulſa ruina
Omnia tunc pariter rutilo immiſcerier igni
Palentes q₃ polo ſtellas/celi q₃ ruinam
Tunc vero tremefacta nouus per pectora cunctis
Inſinuat pauor/et taciti ventura videbant
Hoc ſuper aduentum cu dicta horrenda moueret
Ora puer prima ſignans intonſa iuēta
Diues opum ſtudio florens et nobilis ortu:
Quinq₃ greges illi balantum et quina redibant
Armenta/et dapibus menſas onerabat opimis
Continuo alacris palmas vtraſq₃ tetendit
Et genua amplectens ſic ore affatur amico
O decus o fame merito pars maxima noſtre
Ad te confugio/et ſuplex tua munera poſco
Omnia perfeci/atq₃ animo mecum ante peregi:
Eripe me his inuicte malis quod deniq₃ reſtat
Quid ve ſequens tantos poſſem ſufferre labores
Accipe da q₃ fidem mihi iuſſa capeſcere fas eſt
Atq₃ huic reſponſum paucis ita reddidit heros
O preſtans animi iuuenis·abſiſte peccando
Ne te peniteat nichil o tibi amice relictum eſt
Hoc etiam his addam.tua ſi michi certa voluntas

Diſce puer. contemnere opes et te quoqꝫ dignum
Finge deo et que ſit poteris cognoſcere virtus
Da dextram miſero et fratrem ne deſerere frater
Si iungi hoſpicio properat coniunge volentem
Caſta pudiciciam ſeruet domus en age ſegnes
Rumpe moras. rebus qꝫ veni non pauper egenis
Dixerat hec ille in verbo veſtigia torſit
Triſtior ora modis attollens pallida miris
Multa gemens/ ſe qꝫ oculis attollit et auffert

Tunc etiam tardi coſtis agitatus aſelli
Inſedit lumbo effulgens tunc plurima circum
Matres atqꝫ viri pueri velamina nota
Subiciunt. funen qꝫ manu contingere gaudent
Iamqꝫ propinquabant portis templum qꝫ vetuſtum
Antique cedri: centum ſublime columnis
Aggreditur magna medius comitante caterua
Horrendum ſiluis hoc illis curia templum
He ſacre ſedes. miro quoqꝫ honore colebant.

Iamqꝫ ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo
Horreſcit viſu ſubito inſonuit qꝫ flagello
Significat qꝫ manu et magno ſimul intonat ore
Que ſcelerum facies qꝫ vera micantia coruo

Ceſaris et nomen⁖et mentem inſania mutant.
Hee vobis proprie ſedes/hoc tempore certo:
Perpetuis ſoliti primum conſidere menſis.
Obſtupuere animis gelidus qꝫ per oſſa cucurrit
Oſſa tremor.menſas qꝫ metu liquere priores.
Inde vbi prima fides/pelago trãſquilla per alta
Deducunt ſocii naues.atqꝫ arte magiſtra.
Hic alius funda latum tranſuerberat ãnem
Alta petens pelago qꝫ alius trahit humida lina
Poſtꝙ altum tenuere rates nec iam amplius vlle
Occurrunt terre:crebris micat ignibus ether.
Arripiunt ſubito nubes celum qꝫ diem qꝫ
Conſurgunt venti.et fluctus ad ſydera tollunt
At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit/cecidere animi/cuncti qꝫ repente
Pontum aſpectabant flentes/vox omnibus vna
Spem qꝫ metum qꝫ inter dubii ſeu viuere credant
Siue extrema pati/leti diſcrimine paruo
Qualia multa mari naute patiuntur in illo.
Ecce deus magno.miſceri murmure pontum
Emiſſam qꝫ hyemen ſenſit cui ſumma poteſtas
Par leuibus ventis et fluminis ocior vndis.

Pꝛona petit maria et pellago decurrit aperto
Nec longo diſtet curſu pereunte carina
Agnoſcunt longe regem. dextram qꝫ potentem
Nudati ſocii et magno clamoꝛe ſalutant
Qui vt altos tetigit fluctus et ad equoꝛa venit
Jd vero hoꝛrendum ac viſu mirabile/ferre
Subſidium venit. remo vt luctamen abeſſet
Collectas qꝫ fugat nubes graditur qꝫ per equoꝛ
Jam medio apparet fluctu latera ardua tinxit
At media ſocios intendens naue per ipſos
Ecce gubernaculo rectoꝛ ſubit ipſe magiſter:
Jntremuit malus tremuit ſub pondere cimba
Vela cadunt pupi qꝫ deus conſedit in alta
Et tandem leti naute auertuntur arene
Deuexo interea pꝛopioꝛ fit veſper olimpo
Tunc victu reuocant vires fuſi qꝫ per herbam
Et dapibus menſas onerant et pocula ponunt
Poſtq̄ pꝛima quies epulis menſe qꝫ remote
Jpſe inter pꝛimos genitoꝛ inſtaurat honores
Suſpiciens celum tunc facta ſilentia linguis
Dat manibus fruges dulces qꝫ a fontibus vndas
Jmpleuit qꝫ mero pateram ritus qꝫ ſacrorum

Edocet.immiſcet qꝫ preces ac talia fatur:

Audite o proceres ait/et ſpes diſcite veſtras

Nemo ex hoc numero michi non donatus abibit

Promiſſis qꝫ patris veſtra inquit munera vobis

Cetera manent pueri et palman monet ordine nemo

Et lux cum primum terris ſe craſtina reddet

Vnus erit veſtrum que in me exicium qꝫ meorum

Dum paci medium ſe offert de corpore noſtro

Namqꝫ dies niſi fallor adeſt ſecludite curas

Mecum erit iſte labor nec me ſententia fallit

Vnum pro multis dabitur caput hec vbi fatus

Conticuit ſeram qꝫ dedit per membra quietem

Occeanum interea ſurgens aurora reliquit

Iamqꝫ ſacerdotes late loca queſtibus implent

Cum patribus populi geritur qꝫ per agmina murmur

Quod genus hoc hominū que ve hūc tam barbara morem

Permittit prima penas cum ſanguine ;poſcunt

Vndiqꝫ collecti et magno clamore ſequuntur

Infontem ſeuit qꝫ animus ignobile vulgus

Sol medium celi conſcendere igneus orbem

Cum ſubito accincti qꝫ omnes populos qꝫ patres c

Expoſcunt fari qꝫ iubent quo ſanguine cretus

Quid ve vetat quod ve ipſe ferat preclara tuentes.

Facti viri minus dolor et ſtupor vrget inhertes
Neſcia mens hominum tentant illudere capto

Tunc vero aptatis concurrunt vndiqꝫ telis
Tollitur in celum clamor cunctiqꝫ repente
Corripuere ſaciam effigien manibusqꝫ cruentis

Ingentem quercum denſis vndiqꝫ ramis
Conſtituunt ſpinisqꝫ ligant in gentibus illum

Tendebantqꝫ manus pedibus per mutua nexis
Triſte miniſterium ſequitur quos cetera pubes
Auſi omnes immane nephas auſoqꝫ potiti
Ille autem impauidus quo vincula nectitis inquit
Tanta ne vos generis tenuit dementia veſtri
Poſt michi non ſimili pena commiſſa luetis

Alia perſtabat memorans fixusqꝫ manebat
Interea magno miſceri murmure celum
Incipit et rebus nox abſtulit atra colorem
Impiaqꝫ eternam timuerunt ſecula noctem
Terra tremit fugere fere et mortalia corda
Pergentes humiles ſtraui pauor inde repente
Dat tellus gemitum et celum tonat omne fragore

Ex templo commote hercli de ſedibus imis

Vmbre ibant/tenues tellus quoqꝫ et equora ponti
Signa dabant. liſtunt annes terre qꝫ dehiſcunt
Quin ipſe ſtupuere domus atqꝫ intima leti
Tartara et vmbroſe penitus patuere cauerne
Sol quoqꝫ exoriens cuncti ſe ſcire fatentur
Tunc caput obſcura nitidum ferrugine turpit.
Diffugiunt comites et nocte teguntur opaca
Multa qꝫ dura ſuo triſti cum corde volutant
Quid faciant herent infixi pectore vultus
Verba qꝫ nec placidam membris dat cura quietem
Tunc ſeuior tales reſerabat pectore voces
Multa putans. vbi nunc nobis deus ille magiſter
Quem ſequimur quo ve ire iubes: vbi ponere ſedes
O dolor atqꝫ decus. tantarum gloria rerum?
Jam iam nulla mora eſt et nos trahe in omnia tecum
Oramus te qꝫ aſpectu ne ſubſtrahe noſtro.
Hos inter motus media inter talia verba
Tercia lux gelidam celo dimouerat vmbram
Jamqꝫ pedem referens ſuperas veniebat ad aures
Cum ſubito ante oculos ingenti mole ſepulchrū
Corpus vbi examine poſitum nec clauſtra nec ipſi
Cuſtodes ſufferre valent auulſa qꝫ ſaxis

Saxa vident ſaxis laterum compagibus arctis
Fit ſonus ingenti concuſſa eſt pondere tellus
Horror vbiqꝫ animum ſimul ipſa ſilentia terrent
Ecce autem primi volucrum conculmine cantus
Ingreditur linquens antrum ſpoliis qꝫ ſuperbus
Ibat ouans pulſu qꝫ pedum tremit excita tellus
Vulnera qꝫ illa gerens foribus ſeſe ingerit atris
Atqꝫ hic ingentem comitum affluxiſſe nouorum
Inuenit admirans numerum cunctis qꝫ repente
Improuiſus ait coram quem queritis adſum
Vicit iter durum pietas et viuida virtus
Precipites vigilate viri timor omnis abeſto
Si noſtri reditus expectati qꝫ triumphi
Hec mea magna fides o terqꝫ quater qꝫ beati
Que vobis que digna viri pro laudibus iſtis
Premia poſſe reor ſolui que digna paraui
Accipite ergo animis que vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus eadem vos vbere leto
Accipite et renouate animum meſtum qꝫ timorem
Mittite et voſmet rebus ſeruate ſecundis
Quod ſupereſt leti bene geſtis ordine rebus
Pacem orate manu pacem laudate ſedentes

Magnanimum pacis ſolum immobile pignus

Et ſimul habens dictis faciem oſtendebat et ora

Ora. manus qȝ ambas. populata qȝ tempora ferro

Immiſcent qȝ manus manibus gaudent qȝ tuentes
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt iuuat vſqȝ morari
Et conferre gradum/et dextre coniungere dextram
His demum exactis ſpirantes dimouet vmbras

Aera per tenerum celo qȝ inuectus aperto
Mortales viſus medio in ſermone reliquit
Se qȝ infert ſextus nebula mirabile dictu
Atqȝ illum ſolio ſtellantis regia celi
Accipit eternum qȝ tenet per ſecula nomen
Ex illo delatus honos letum qȝ minores
Seruauere diem tot iam labentibus annis

O decus et numerum/tantarum gloria rerum
Semper honos nomen qȝ tuum. laudes qȝ manebunt
Et nos et tua dextre. adi pede ſacra ſecundo
Annua qȝ differre nefas celebrate fauentes
Hunc ſocii morem ſacrorum hunc ipſe teneto
O dulcis coniunx: et ſi pietate merentur

Hac caſti maneant in religione nepotes

Finis veteris ac noui teſtamenti metrice com pilatis a valeria proba.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Mirandum mul | tis | opus explicit arte para | tum |
| Noſcere ſi vul | | conſtat ſatis eſſe rela | |
| Monacha virgili | um | per partes vndiqʒ leg | it |
| Et teſtament | | vetus inde nouum qʒ pereg | |

Probe valerie vxoris adelphi opuſculum feliciter explicit Per me Jo. ſor. p. Curatum de colūberio pariſieñ. tunc percunctantem exaratum. Anno dñi M. CCCC. lxxxx. die vero. v. menſis iunii octauis penthecoſtes exiſtentibus. In quarum prima die ſcʒ in craſtino predicti feſti icepta fuit paſſio ſaluatoris noſtri In cimiterio ſancti iohannis hora prima a meridie.